

DISPUTATIO III.

DE VOLUNTARIO MIXTO CUM METU, VEL CONCUPISCENTIA, COMPLECTENS SECTIONES QUATUOR.

- 1 *Utrum quæ ex solo metu fiant, sint involuntaria simpliciter ratione ipsius metus.*
- 2 *Utrum quæ ex solo metu fiant, sint saltem involuntaria secundum quid ratione ipsius metus.*
- 3 *Utrum concupiscentia augeat voluntarium.*
- 4 *Utrum concupiscentia causet aliquo modo involuntarium.*

DISPUTATIO IV.

DE IGNORANTIA UTRUM CAUSET VOLUNTARIUM, AUT INVOLUNTARIUM, COMPREHENDENS TRES SECTIONES.

- 1 *Utrum recte dividatur ignorantia in antecedentem, concomitantem, et consequentem, et quo sensu.*
- 2 *Utrum et quæ ignorantia causet voluntarium, vel involuntarium.*
- 3 *Utrum actualis inconsideratio faciat non voluntarium actum quod conditionem ignoratam.*

DISPUTATIO V.

DE CIRCUMSTANTIIS, SEU ACCIDENTIBUS HUMANORUM ACTUUM, CONTINENS TRES SECTIONES.

- 1 *Utrum sint aliquæ circumstantiae actus humani internæ et externæ.*
- 2 *Quot sint circumstantiae humanorum actuum.*
- 3 *Quid necesse sit ut circumstantiae afficiant actum moralem.*

DISPUTATIO VI.

DE VOLUNTATE ET INTENTIONE, ACTIBUSQUE INTELLECTUS PRÆVIIS, CONTINENS SECTIONES SEPTEM.

- 1 *De objectis, rationibus, et differentiis voluntatis atque intentionis.*
- 2 *Utrum voluntas et intentio versentur aliquo modo circa media.*
- 3 *Utrum voluntas et intentio sint actus liberi, an necessarii.*
- 4 *Utrum ad actum voluntatis sit necessaria cognitio.*

- 5 *Qualis esse debet prædicta cognitio.*
- 6 *In quo genere causæ concurrat cognition ad actum voluntatis: et an intellectus moveat voluntatem quoad exercitium, vel quoad specificationem.*
- 7 *A quo moveatur voluntas quod exercitium in actu circa finem.*

DISPUTATIO VII.

DE FRUITIONE, CONTINENS SECTIONES TRES.

- 1 *Utrum fructus sit actus voluntatis.*
- 2 *Quodnam sit fruitionis objectum.*
- 3 *Quomodo gaudium ab amore distinguatur.*

DISPUTATIO VIII.

DE ELECTIONE ET CONSENSU, AC DE COGNITIONE PRÆVIA AD TALEM ACTUM, CONTINENS SECTIONES QUINTA.

- 1 *Quid sit electio, quod ejus objectum, et cuius potentiae sit actus.*
- 2 *Utrum consensus sit actus voluntatis ab electione distinctus.*
- 3 *Quomodo distinguuntur electio, et consensus ab intentione finis, et simul quomodo versentur circa finem.*
- 4 *Utrum actus electionis sit liber.*
- 5 *De cognitione necessaria ad electionem.*

DISPUTATIO IX.

DE USU ET IMPERIO, CONTINENS SECTIONES TRES.

- 1 *Quid sit usus, et quod ejus objectum.*
- 2 *Utrum usus sit actus ab electione distinctus.*
- 3 *Quæ cognitione antecedat usum, et simul quid sit imperium, et ut distinguatur ab usu.*

DISPUTATIO X.

DE ACTIBUS IMPERATIS A VOLUNTATE IN COMMUNI, IN TRES SECTIONES DISTRIBUTA.

- 1 *Utrum actus voluntatis et rationis imperentur.*
- 2 *Utrum actus appetitus sensitivi imperentur.*
- 3 *Utrum imperium et actus imperatus sint unus actus.*

TRACTATUS SECUNDUS.

DE VOLUNTARIO

ET INVOLUNTARIO.

DISPUTATIO I.

DE VOLUNTARIO ET LIBERO, EORUMQUE COMPARATIONE.

Qamvis D. Thomas, 1, 2, quæst. 6, solum proponat disputationem de voluntario, mihi tamen visum est de ratione libera actionis disserere, tum quia nimis necessaria est hæc ratio ad cognoscendum actum moralem, cuius gratia tota hæc disputatione statuitur: tum etiam, quia neque ipsa ratio voluntarii perfecte cognosci potest, nisi cum libero conferatur: non possunt autem comparari, nisi prius singula cognoscantur. Dicemus ergo an utraque harum rationum in humanis actibus reperiatur, et quid, ac quotplex sit.

SECTIO I.

Quid sit aliquid esse voluntarium.

1. *Una definitio voluntarii. — Altera. — Objectiones contra proximas definitiones.* — Divus Thomas, q. 6, art. 1, definit illam actionem esse voluntariam, *quæ est a principio intrinseco cum cognitione.* Aristoteles autem 3, Ethic., c. 4, quem sequuntur Nyssenus et Damascenus nonnihil huic definitioni addere videtur. Dicit enim actionem esse voluntariam, *cujus principium est in agente, scientie singula, in quibus est ipse actus:* id est, cognoscere conditions, quæ actum circumstant, quas appellamus circumstantias, ut hi auctores explicant. In utraque autem definitione est difficultas, quoniam prior videtur plura complecti, quæ non necessario sunt voluntaria, ut assensus scientiae est a principio intrinseco, et procedit ex perfecta cognitione principiorum, et tamen ex se non est voluntarius: similiter

actio, quæ fit habitus, est a principio intrinseco, et potest esse cum cognitione objecti talis habitus, et tamen per se non est voluntaria, e contrario vero aliqua videntur esse voluntaria, quibus illa definitio non convenit: nam si quis alium occidat, me vidente et gaudente, nihil tamen agente, illa occisio mihi est voluntaria, et tamen non est a principio intrinseco respectu mei, cum principium ejus non sit in me. Quæ objectio etiam procedit circa definitionem Aristotelis, circa quam etiam urget, quia non videtur esse de ratione voluntarii cognitione circumstantiarum omnium, tum quia alias in brutis, et pueris non reperiatur voluntarium, quod est contra ipsos citatos auctores: tum etiam, quia alias omnis actio, quæ fit cum ignorantia alicujus circumstantiæ, non esset voluntaria, et consequenter nec peccatum, quod est per se manifeste falsum.

2. *Variæ acceptiones voluntarii.* — Ut explicemus has definitiones, incipiamus prius ab ipsa re, ad quam cognoscendam oportet distinguere variæ significations hujus vocis voluntarium: ut enim ex ipsa voce consistat, a voluntate dictum est. Unde quidquid sub voluntate cadit, generali ratione voluntarium dici potest, tamen hinc distinguiri possunt variæ acceptiones voluntarii. Duobus enim, aut tribus modis aliquid cadit sub voluntatem. Primo ut objectum tantum, et non ut effectus, neque ut actus voluntatis; et hoc potius dicitur volitum, quam voluntarium, prout nunc de illo agimus. Exemplum est in objectione facta de morte ab alio effecta me consentiente, non cooperante: sic etiam generatio æterna dicitur Patri esse voluntaria objective, seu concomitante, non principiatiæ. Secundo modo cadit aliquid in voluntate tanquam effectus seu actus ejus, quod dicitur causaliter voluntarium,

seu principiatiue, de quo erit in praesenti prae-
cipiuus sermo, et hoc modo dicuntur voluntarii
actus, tum etiam eliciti, tum etiam imperati a
voluntate. Est autem considerandum nihil esse
voluntarium hoc posteriori modo quin sit
etiam voluntarium priori modo etsi non con-
vertantur, nihil enim potest a voluntate pro-
cedere aliquo modo, quin sit ab ea aliquo
modo volitum: quidquid autem est volitum a
voluntate, induit aliquo modo rationem objecti
sui. Sed circa ea, quae hoc posteriori modo vol-
untaria sunt, oportet etiam advertere, quæ-
dam esse in voluntate immediate, ut actus ab
ea elicitus: quadam vero mediate, id est, me-
diis actibus elicitis, ut sunt actus imperati,
sub quibus effectus eorum comprehendo, inter
quos haec est differentia, quod actus imperati
ita sunt voluntarii causaliter, ut sint etiam
proprie voluntarii objective. Sunt enim actus
imperati propria objecta elicitorum actuum,
per quos imperantur, ut cum aliquis voluntarie
facit eleemosynam, exterior actus dandi
eleemosynam est proprium objectum interioris
voluntatis dandi illam, atque ita illa actio
est proprie voluntaria, et ut effectus, et ut ob-
jectum. At vero ipsa interior volatio, quæ est
actus elicitus, ita est voluntaria, et volita ut
actio, seu actus ut non sit proprie objectum
volitum, quia necesse est hujusmodi actum
habere objectum a se distinctum, circa quod
directe verisetur. Unde solum ipse est volitus
intrinsece, et per se ipsum per quamdam vir-
tualem reflexionem, quam in se includit, et
ideo dicitur volitus per modum actus non per
modum objecti.

3. *Quid sit voluntarium ut objectum.* — His
positis constat primo voluntarium ut ob-
jectum, seu concomitans tantum, nihil aliud esse
quam denominationem quamdam in objecto
voluntatis manentem ab actu ejus, quo vult,
seu complacet in tali objecto: sicut esse amatum
est denominatio quedam in objecto, seu
re amata ab actu amantis, nam idem est esse
volitum, quod esse amatum, et (ut dixi) idem
est esse hoc modo voluntarium, quod esse vo-
litum: sed hujusmodi voluntarium non satis
est ad aliud, de quo modo tractamus; nam
disputamus de voluntario, quod constituit ac-
tum humanum, ad quod non sufficit voluntar-
ium tantum objectivum, ut per se constat.

4. *Quid voluntarium ut actus imperatus.* —
Secundo facile ex dictis constat quid sit volun-
tarium per modum actus imperati, nihil enim
aliud est, quam habitudo, seu denominatio
quædam in actu imperato ab actu elicitu, cuius

est, et objectum, et effectus, non enim alia ra-
tione actus imperatus voluntarius dicitur, nisi
quia procedit ab actu elicitu voluntario, et ab
ipso quodammodo informatur, et eum illo
constituit unum actum moralem, ut dicam,
quæ per se sunt satis clara. Tota ergo difficultas
revocatur ad actus elicitos.

5. *Quid ut actus elicitus.* — *Actus ut qualitas etiam est volitus per se et non tantum per suam dependentiam a voluntate.* — Tertio potest
colligi, esse voluntarium in actu elicitu, nihil
aliud esse quem esse actum, ita immediate
manentem a voluntate, ut per se ipsum intrin-
sece sit volitus per virtualem, et intrinsecam
reflexionem in ipso inclusam. Hoc fere constat
ex dictis, quia inter hunc actum et voluntate,
non mediat aliud actus: ergo necesse est,
ut se ipso, et per immediatam habitudinem ad
ipsam voluntatem dicatur voluntarius. Sed
hoc, ut amplius explicetur, distinguamus in
ipso actu elicitu duas rationes, alteram qualita-
tis, seu termini, alteram dependentiae, seu actionis:
videtur ergo dici posse actum ipsum,
quatenus est qualitas quædam, esse volun-
tarium ab actione seu dependentia, per quam
manat a voluntate, ipsam vero actionem se
ipsa esse voluntariam per immediatam habi-
tudinem ad ipsam voluntatem, nam actus non
est a voluntate, nisi mediante actione: actio
vero immediate per se ipsam: sed tamen licet
hoc ex parte verum sit, non tamen sufficit ad
propriam, et formalem denominationem ex-
plicandam: verum quidem est in actu imma-
nente, ut voluntarius sit, necessariam esse
illam dependentiam a voluntate, ut principio
proximo efficiente, tum quia in omni actu vi-
tali est hoc proportionale necessarium, ut pos-
sit existere, et suam potentiam informare:
tum etiam quia supponimus hunc actum esse
voluntarium, non tantum objective, sed etiam
causaliter; voluntarium autem causaliter ne-
cessario requirit dimanationem a voluntate,
quæ cum in hoc actu elicitu non sit per alium
actum, necesse est quod sit per intrinsecam
dependentiam.

6. *Est tamen voluntarius per intrinsecam re-
flexionem.* — Addendum vero est etiam ipsum
actum quatenus in facto esse informat volun-
tatem, et constituit illam volentem non tantum
constituere illam volentem objectum, sed
etiam ipsummet actum per virtualem reflexio-
nem in illo inclusam, quod etiam agendo de
voluntaria productione Spiritus sancti explicui,
lib. sexto de Trinitat., cap. quarto, a num.
septimo. Nam actus ipse, ut actus est, intrin-

DISPUTATIO I. SECTIO I.

161

seco includit, quod sit volitus, neque intelligi
potest voluntatem constitui volentem, id est,
voluntarie tendentem in objectum, quin vir-
tualiter velit ipsam tendentiam, seu inclina-
tionem, ut sit per possibile, vel impossibile
amaret objectum per amorem impressum ab
alio sine efficientia ejus, revera non tantum
non eliceret ipsam efficientiam, sed etiam ne-
que ipsum amorem, neque voluntarie et sponta-
neee amaret: ergo signum est hujusmodi
actum, non solum denominari voluntarium a
dependentia in genere cause efficientis, sed per
seipsum formaliter ex vi suæ informationis, in
quo differt hujusmodi actus ab omni alio, qui
non sit a voluntate elicitus.

7. *Dices, quamvis hoc appareat verum in
actibus voluntatis, qui sunt per modum pro-
secutionis, ut sunt amor, et alii, qui tendunt in
bonum sub ratione boni: non tamen in actibus,
qui sunt per modum fugæ, ut tristitia,
odium, etc., nam hi actus sunt potius nolitiones
quædam, quam volitiones: unde non de-
nominant sua objecta voluntaria, sed potius
involuntaria: ergo non possunt hujusmodi ac-
tus esse voluntarii se ipsis, et tamen sunt
elicit a voluntate, et voluntarii eidem, cuius
signum evidens est, quia in eis esse potest
peccatum et meritum, ut in tristitia de bono
opere et dolore de peccatis: ergo non potest
ratio voluntarii predicto modo sufficienter ex-
poni in omnibus actibus elicitis.*

8. Ad hanc objectionem respondetur primo
eudem actum esse posse directam nolitionem
objecti, et virtualem volitionem sui ipsius;
nam licet tristitia, verbi gratia, absolute
et simpliciter videatur involuntaria, tamen
supposito tali modo presentia est voluntaria,
nam voluntarie quis fugit malum sibi inha-
rens, etsi absolute nolit sibi esse. Nec refert,
quod idem actus respectu objecti sit nolito, et
respectu sui sit virtualis volitio, quia haec duo
non opponuntur, cum sint respectu diversorum,
et modis diversis. Secundo potest hoc de-
clarari ex D. Thoma, prima secundæ, quæst.
sexta, articul. tertio, ad secund. Si dicamus
omnes actus, qui a nobis explicantur per modum
nolitionis et fugæ, re ipsa esse volitiones
quædam, si ad propria objecta comparentur,
et inductione hoc explicatur, nam odium alterius,
est actus per modum fugæ, et dicitur esse
nolito quædam, et tamen revera est velle illi
malum, et similiter dolor de peccatis, qui ex-
plicatur per hanc vocem, *nolle peccasse*, idem
est quod vellem non peccasse, nam, ut recte
dicit divus Thomas. illud verbum *nolle*, si

per solam negationem explicetur, non tam
dicit actum quam negationem actus: si autem
positive declaretur, nihil aliud esse potest,
quam voluntas carendi seu non habendi ali-
quid. Cujus signum etiam esse potest, quia ex
vi talis actus moventur aliæ facultates, et orga-
na corporis ad fugiendum, vel alias actiones,
quæ non fiunt nisi voluntate positiva effi-
ciendi illas. Hoc autem posito facile intelligi-
tur hos actus posse esse seipsis voluntarios, ut
facile patet ex dictis.

9. *Exponitur jam vulgaris definitio volun-
tarii.* — Quarto facile est ex dictis explicare
definitionem communem voluntarii ab Aristotele
traditam, merito enim ait voluntarium
debet esse a principio intrinseco, quia necesse
est, ut oriatur a proprio appetitu innato, qui
sit in agente: et in hac particula convenit
motus naturalis cum voluntario: differt tamen
voluntarius a violento, qui est a principio
extrinseco, ut infra dicam, disputat. secunda,
section. prima, a num. quinto. Addunt vero
citati auctores voluntarium procedere ex co-
gnitione, ut illum distinguant a motu natura-
li, ut sic, hic est enim consentaneus appetitu
naturæ, ille vero debet esse ab appetitu eli-
ciente et vitali, qui appetitus sequitur formam
apprehensam, et ex cogitatione resultat, nec
ferri potest in incognitum, et ideo recte dicitur
voluntarium esse ex cognitione, quod non
tantum est intelligendum concomitante, sed
etiam causaliter, ita ut cognitio sit aliquo
modo fons et origo ipsius voluntarii. Et ita
est explicata definitio D. Thomæ: de alia vero
particula addita ab Aristotele dicam solvendo
objectiones, in numero undecimo.

10. *Suadetur data explicatio.* — Quod autem
nomine voluntarii hoc significetur, quod per
dictam definitionem explicatur, non tam est
probandum, quam sumendum ex communi
vocis significatione: potest tamen sic explicari,
nam constat esse in aliquibus rebus hunc mo-
dum appetendi vitalem, et elicitem ortum ex
cognitione, quia appetitus elicitus in hoc super-
erat pondus naturæ. Sicut ergo aliquis motus
est ex solo impetu naturæ, ita actus aliquis est
ex appetitu eliciente, et sicut illud habet pro-
prium nomen, et dicitur *naturalis*: ita etiam
ille alias motus indiget proprio nomine: ad
illud ergo significandum impositum est nomen
voluntarium, ut constat ex communi usu, et
ideo hoc nomen nunquam tribuitur iis, quæ
sine cognitione operantur, imo hinc derivata
est haec vox ad specialiter significandum ea,
quæ sola propria voluntate fiunt absque ullo

extremo impellente. Sic 1, Petri 5: *Non turpis lucrigratia, sed voluntarie: et interdum etiam ea, que fiunt sine obligatione, dicuntur voluntaria, sic etiam quo sit prompto animo, dicitur specialiter voluntarium: significatur ergo hac voce ille motus, qui oritur ex proprio appetitu elicente, et ideo necesse est, ut sit a principio intrinseco cum cognitione.*

11. Ultimo facile est respondere ad objectiones factas: assensus enim conclusionis per se non est voluntarius, sed naturalis, nisi quantum imperari potest a voluntate quoad exercitium, quia neque per se est intrinsece voluntus, sicut actus appetitus, neque procedit ex cognitione sui proprii objecti circa quod versatur, sed potius ipse est cognitio sui objecti, motus autem voluntarius procedit ex cognitione objecti, circa quod versatur, et ita est intelligenda definitio. Alia vero objectio de occisione ab alio facta, et mihi voluntaria, procedit de voluntario objective tantum, non causaliter: definitio autem intelligitur de proprio voluntario causaliter. Ad aliam objectionem circa particulam, quam Aristoteles addit, et D. Thomas omisit; dici potest Aristotalem definivisse voluntarium perfectum et rationale: D. Thomam vero abstractius fuisse locutum, quod est probabile, sed difficile propter objectiones ibi factas, et ideo aliter dici posset, illam particulam, *cognoscente singula, in quibus est actio*, non esse absolute, et simpliciter intelligendam, sed per distributionem accommodatam. Itaque unumquodque voluntarium requirit cognitionem omnium proprietatum, quae sub illud cadunt, seu quae necessariae sunt, ut actio appetatur. Unde si sit perfectum voluntarium, requirit cognitionem omnium conditionum absolute, et simpliciter: si vero sit imperfectum, sufficit cognitio illius materialis objecti circa quod versatur, atque eadem ratione ignorantia unius circumstantiae efficiet, ut actio non sit voluntaria, quoad illam circumstantiam: poterit tamen esse voluntaria, quoad substantiam, et alias circumstantias, quae cognoscuntur, de qua re iterum infra, disput. 5, ubi tractabitur ille locus Aristotelis.

SECTIO II.

Utrum in actibus humanis reperiatur liberum necessitatem excludens.

1. *Voluntarium dari consentiunt omnes de libero dissentientibus infideles.*—Circa voluntarium non oportuit specialiter tractare quæstionem,

an sit, quia si semel intelligatur, quid illa voce significetur, nihil est notius ipsa experientia, quam esse in homine actiones spontaneas, et voluntarias, et ita neque cum catholicis, neque cum hæreticis fuit de hoc ulla controversia: at vero de libertate est maxima, et est sermo de voluntate excludente necessitatem, ne sit quæstio in modo loquendi, ut infra, disputatione sequenti, sect. 4, latius. Fuit autem in hac re antiquus error negans reperiri in homine motum liberum proprie dictum, et explicatum. Sed in hoc errore sunt varii modi, et varia principia, quæ possunt ad quatuor capita revocari, quæ attingunt varias difficultates ad alias materias pertinentes: unde tantum indicabo illas, et designabo loca, breviter explicans, quod ad intelligentiam hujus materiae fuerit necessarium.

2. *Primus error negans libertatem ob fatum, vel influxum cœli.*—Primus error revocat hanc necessitatem in causam extrinsecam, quam *fatum* appellat, et nomine fati intelligit seriem naturalium causarum, et præcipue cœlorum influxum. In hoc errore fuerunt Stoici, quos imitati sunt, haeretici Priscillianistæ, contra quos videri potest Concilium Bracharense I, can. 9, Leo papa, epistol. 95, cap. 6, Hieronymus, epist. 66, Augustinus, cont. Hæres. 70, qui in 35, eudem errorem tribuit Bardæsanu: tamen Epiphanius, hæres. 56, potius refert eum contra fatum scrispsisse, et idem colligitur ex Eusebio, lib. 4, Histor., cap. 11. Hi tamen infideles in duobus errabant, quia tam inevitabilem putabant esse hujus fati necessitatem, ut nec divinæ providentia, ac potentia eam subjecerent, contra quem errorem agitur in 1 part., quæst. 19, 22 et 23. Secundo errabant existimantes cœlos posse directe influere, et immutare intellectum et voluntatem hominis, quod est signum, ut ait divus Thomas, eos existimasse animam hominis esse materialem, nihilque inter intellectum et sensum distinxisse, quam rem attingit D. Thomas, 1, 1, q. 9, art. 5, latius 1 part., quæst. 115, art. 4, et quæst. 116, art. 4, et 1, cont. Gent., cap. 84 et 85, quinimo non solum materiales seu corporales causas, verum nec spirituales creatas posse immediate immutare hominis voluntatem, ostendit idem D. Thomas, 1 part., q. 104, 105 et 111.

3. *Secundus error tollens libertatem ob Dei impulsu in voluntatem.*—Secundus error tribuit necessitatem etiam causæ extrinsecæ, non tamen creatæ, sed divinæ motioni: sic Calvinus et alii hæretici, qui dicunt voluntaria

DISPUTATIO I. SECTIO II.

tem nostram non posse libere operari, quia indiget divina motione determinante illam ad operandum, vel certe, quia subjecta est dispositioni divinae voluntatis, per quam ita sunt ordinata omnia antequam fiant ut non possint aliter fieri, aut evenire. Imo Augustinus 5, de Civit. Dei, cap. 8, ex Seneca, lib. de Benefic., et epist. 18, ita explicat Stoicorum sententiam, ut scilicet, per fatum intellexerint hanc dispositionem divinæ voluntatis, et indicat in hoc sensu non esse improbandam illorum sententiam. Sed intelligendus est dummodo non sentiant eam divinam dispositionem necessitatem imponere humanæ voluntati, ut exponit divus Thomas, 1 part., quæst. 116, art. 3.

4. *Prior modus explicandi predictum errorum.*—Fundamentum hujus erroris altero ex duobus modis potest explicari, prior est, has duas conditiones, scilicet operari libere, et operari cum dependentia a prima causa esse prorsus repugnantes, ita ut non possint eidem facultati simul convenire, nam hinc necessario sequitur nullam esse causam creatam natura sua libera in agendo, quia omnis causa creata necessario pendet in agendo a concursu primæ causæ, non potest autem eadem res, seu causa ex natura sua habere conditions repugnantes.

5. Hoc fundamentum, seclusis etiam principiis fidei, de quibus statim, nulla ratione verisimili probari potest, quia hæc repugnantia, neque oriri potest ex parte causæ creatæ, neque ex parte Dei. Primum constat, quia quavis libertas in agendo sit perfectio simpliciter simplex, tamen non postulat ex se infinitam perfectionem simpliciter in genere entis, nisi sit in summo perfectionis gradu, quem habet in Deo, sicut videre licet in aliis perfectionibus simpliciter, quales sunt esse intellectualem, immortalem, etc., neque enim aliqua specialis ratio de hac perfectione afferri potest, quia libertas, ut sic, non oritur immediate ex infinitate, sed ex perfecta intelligentia ad propinquendum diversa bona appetitui singulorum rationem, et utilitatem, et incommoda pondendo, quod totum reperiri potest in natura finita. Neque etiam ex parte Dei potest oriri hæc repugnantia, tum propter generalem rationem, quod nullus effectus repugnat ex parte potentia Dei, nisi in se involvat contradictionem aliquam: tum etiam quia Deus, cum sit omnipotens et infinite sapiens, unicuique rei providere potest juxta modum naturæ illius accommodatum. Nec denique in re ipsa est repugnantia quod operatio sit libera, et depen-

dens a superiori causa, quia potest dependere absque eo quod superior causa determinat inferiorem per concursum suum, et absque ulla posterioritate in causando, sed cum omnimoda simultate, et concomitantia in eo concursu. Neque quod hæc duo sint possibilia, nulla est repugnantia, nec difficultas, quæ probabiliter ostendi possit: hoc autem posito facile intelligitur dependentiam a superiori causa non repugnare cum libera determinatione causæ inferioris, de qua re latius in materia de peccatis et gratia, et 1 part., quæst. 19.

6. *Secundus modus explicandi eumdem errorum.*—Secundo modo potest fundari hic error, scilicet, ut non oriatur ex repugnantia ipsius rei, sed ex sola divina voluntate: juxta quam intelligentiam non negat hæc sententia hominem esse liberi arbitrii in actu primo, id est, habere in se facultatem operandi ex se indifferentem, nisi aliunde ab extrinseco necessitetur. Deinde non negat posse Deum si velit concedere homini, ut utatur hac facultate sua in actu secundo dando illi concursum accommodatum: affirmat tamen Deum de facto voluisse determinare suo arbitrio voluntates nostras ad omnes actus tam bonos, quam malos, idque fortasse ut ostenderet potentiam suam, et dominium quod habet nostrarum voluntatum, et ut omnia, quæ futura sunt, inevitabiliter suo arbitrio disponeret independenter a nostro. Et ad hoc confirmandum congrunt hæretici plura testimonia male intellecta tam sacrae Scripturæ, quam Sanctorum Patrum, præsertim Augustini, quorum intelligentiam infra indicabo.

7. Sed in hoc etiam sensu est improbabilis hic error. Primo, quia de divina voluntate et dispositione, quæ in naturis rerum fundatum non habet, sed potius eis adversatur, nihil rationabiliter affirmari potest, quod revelatum non sit, aut ex revelatis colligatur, hoc autem quod hic error affirmat, non solum revelatum non est, sed potius contrarium in sacra Scriptura continetur, ut statim ostendam. Deinde est contra perfectionem, et sapientiam divinæ providentiae immutare in omnibus actionibus, et suppositis humanis modum operandi connaturalem illis, quin potius propter hanc potissimum causam Deus permitit peccata, ut hominem suæ libertatis committat, neque id pertinere poterat ad manifestationem divinæ potentiae, tum quia satis eam ostendit si interdum hoc faciat, et utatur humana voluntate suo arbitrio, eique necessitatem imponeat aliquando, nam si semper id faceret, po-